

Galliarum Rege Turcas evocante, sibi minime noxæ adscribi deberet, quod pro rebus suis tuendis Regi, si non Catholico, Christiano saltem jungeretur. Jamque Henricus cum vete-
 re in Gallos odio, tum recentibus finium controversiis incensus, ab Anglia Caletum copias transmittere cœperat, quo ad Caroli adventum arma in Galliam inferret.

1543

*Henricus
 Angliæ Rex
 copias Ca-
 letum mit-
 tit.*

Pontifex variis curis, & cogitationibus distractus, multa ani-
 mo agitare; Cæsaris potentiam Germanicis viribus, Angli co-
 piis auctam suspectam habere; cum præsertim Granvelanum
 in Germaniam misisset, atque, ut in ea provincia Concilium
 haberetur, summopere contendisset, in quo de Romana curia
 ordinanda in Germanorum gratiam ageretur; qui cum a ma-
 jorum cultu, atque ab avita religione discessissent, odio in
 Romanos Pontifices acti, eorum majestatem, & auctoritatem
 deprimere nitebantur. Nonnunquam vehementer de Carolo
 conqueri, quod fœdus cum Anglorum Rege, qui ab Eccle-
 sia Romana defecerat, pepigisset, in quem ut anathematis spi-
 culum intorqueret, Clementi auctor fuerat. Ea spe quoque
 dejectus videbatur, qua Cæsarem Mediolanense imperium
 Octavio Farnesio nepoti, illius genero, traditurum sibi polli-
 citus fuerat. His fiebat, ut a Gallo sollicitatus, qui Cæsaris
 cum Anglo amicitiam detestabatur, Venetis nova fœdera, &
 societates ad mutuam securitatem, atque incolumitatem tuen-
 dam offerret, eo consilio, ut illos arctiori nexu cum Gallia-
 rum Rege conjungeret, quo communibus viribus Cæsari ob-
 fisteretur. Verum Senatus ab iis consiliis abhorrebat, quibus
 diuturno, atque inutili bello implicaretur; eamque Reipubli-
 cæ recte gubernandæ rationem arbitrabatur, si medium inter
 summos Principes se gereret; cum utrisque amicitiam coleret;
 & præteritis tum terrestribus, tum maritimis bellis defessam
 Rempublicam tranquillitate, ac pace foveret, atque corrobora-
 ret. Quibus accedebat, quod Suleimanus eodem tempore
 classem, exercitumque compararet; neque Turcarum promissis,
 licet nihil paci adversum facturos prædicarent, idemque Poli-
 nus, Regis orator, affirmaret, præteritis successibus edocti,
 satis fidendum existimabant. Itaque maritimas opes undique
 contrahere; classem augere, quæ tunc triginta triremium nu-
 merum non excederet, Senatus decrevit; adornari, atque in-

*Veneti fœ-
 dus a Pon-
 tifice obla-
 tum re-
 nunt.*